

23

145

1710 4

5

445

DISPUTATIO JURIDICA,
 DE
**EBRIO DELIN-
 QVENTE,**

QUAM
 ADJUVANTE DIVINO NUMINE
 ET ILLUSTRIS ICTORUM ORDINE CONSENTIENTE
 IN CELEBERRIMA AD VARNUM ACADEMIA,
 PRÆSIDE
 VIRO PRÆNOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO
 ATQVE CONSULTISSIMO,

DN. MATTHIA Stein/

ICTO, AC COD. PROFESS. PUBL. ORDIN.
 HODIE DECANO,

IN AUDITORIO MAJORI
 D. xiv. JUN. A. M. DCC. X.
 PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
 SUBMITTIT.

AUTOR & RESPONDENS

**BARTOLDUS CHRISTOPHORUS
 BALEKE,**
 PARCHIM-MEKLENB.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVI,
 Ampliff. Senatus Typographi.



VIRO
PER ILLUSTRIS ac GENEROSISSIMO
DOMINO,
DNO. ERNESTO
CHRISTOPHORO

De Roppelau/

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DUCIS
MECKLENB. CONSILIARIO
INTIMO.

HEREDITARIO IN PRÆFE-
CTURA YVENAC

& reliqv. & reliqv.

PATRONO ac EVERGETÆ MAGNO

Hoc quaecunq̄ue est Specimen
Academicum.

In devotissimæ mentis tesseram consecrat

AUTOR.



Q. D. B. V.

PRÆFAMEN.



Casus in Societate humana non quotidie obvios, utut Jura interdum respiciant §. 22. *f. de R. D. l. 3. ff. Si pars hered. pet. 12. C. de legit. hered.* ex diligentiori tamen tum Juris communis Cæsarei, tum Juris statutarii inspectione, cuilibet primo statim patebit intuitu, quod maxima legum pars casus frequenter in civitate obvientes concernat *l. 3. 4. 5. 6. & 10. ff. de LL.* Hinc nec Lector Ben. vitio mihi vertet, quando academici speciminis loco, de ebrietate, ceu de vitio communi, disserendi animus est. Ecquid enim in toto ferme terrarū orbe, præsertim in nostris Germania terris frequentius accidit, quam ut qui Baccho nomen dederunt, adeo se dulci ingurgitent vino, ut neque pes neque manus suo perfungi queant officio, hinc Italus Germano quondam objicere non dubitavit trirum illud:

Germani cunctos possunt tolerare labores
O utinam possent tam tolerare sitim.

A

Ebrietas

Ebrietas autem est vomes & glutina multorum scelerum, nec ab homine ebrio unquam postulanda est sapientia *Cic. 2. Philipp. c. 23.* ut inde salutaris admodum sit dispositio, quæ continetur in *ord. Polit. de anno 1577. tit. 8. von übermäßigen Trinken und von Zutrincken/* ut hanc constitutionem contrario vicissim usu abrogatâ testetur & de eo conquiretur *Gail. l. 2. observ. 110. n. 24. conf. Lans. consult. de Princ. int. Provinc. Europ. orat. contra germ. p. m. 88.* Quinimo detestandum hocce vitium non tantum illos fascinavit, qui collum suum alterius regimini subdere assefacti sunt, sed & labes ista eorum ingressus est animum qui ad reipubl. sedent gubernacula, ut inde *Barclaj. Icon. anim. cap. 5. Venalis (dicat) quorundam Principium gratia pretio tam infami sive quærentes comites vitiorum, sive legatis advenisque hospitalem parantium mensam. Nam Germani nulla comitate suavius, quam longo nec sobrio convivio peregrinos excipere credunt, & tum verissimam ab ipsis hospitibus benevolentiam exprimi ubi mutuis poculis inundari non abnuunt.* Ita me accingam ad delineandum ipsum ebrium delinquentem & de isto pro temporis (quod iter mox suscipiendum coarctat) angustia Jussui Superiorum & legi in hac Academia abituro præscriptæ obtemperaturus quædam proponam & quidem in cap. 1. sistam ebrietatem & delictum in genere, In cap. 2. delicta ab ebrio commissa. In cap. 3. pœnam ebrio in Jure statutam. Faxit DEUS feliciter!

CAP.

3

CAP. I.

DE EBRIETATE ET DELICTO IN GENERE.

SUMMARIA.

- §. 1. Ebrietatis definitio. *dicam & immodicam, ut
in Voluntariam, casua-
lem & mixtam.*
- §. 2. Ebrietatis divisio.
- §. 3. Num Ebrietas per se sit
delictum. §. 8. Exponitur vox delinquere.
- §. 4. Adducuntur rationes, quod
Ebrietas sit per se delictum. §. 9. Probatur quod & sub fa-
cto mandatum ad facien-
dum contineatur.
- §. 5. Resutantur rationes ob-
stantes. §. 10. Probatur quod & sub fa-
cto contineantur actus ne-
gativi.
- §. 6. Queritur quantum ali-
cui bibere licitum.
- §. 7. Dividitur ebrietas in mo-
§. 11. Dividuntur delicta.
- §. 1.



Ordine & decenter ut omnia fiant, ini-
tium nobis faciendum erit à descri-
ptione ebrietatis, utut nemo quid
illa sit facile ignoraverit. Est
ergo vitium, quo quis modum in
potu excedit. Medium quippe, si
cuti in omnibus casibus, ita hic quoque est obser-
vandum. Servandam autem hancce mediocrita-
tem absolvit sobrietas, cujus extrema sunt in excessu
ebrietas, in defectu nimia à potu abstinentia v. *Iter.
Synopf. phil. moral. l. 3. c. 3. n. 9. p. m. 107. Rudrauff. In-
stitut. Moral. de temperant. th. 6.*

A 2

§. II.

§. II. Dividi ebrietas solet in ebrietatem & ebriositatem, ut *illa* stricte accepta sit, quando quis forte obtemperaturus amicorum invitationi in salutem alterius potando vini corrumpit calore, *hec* vero denotet tam frequentem bibendi actum, ut cum Smindiride Sybarita quis gloriari possit, se totis 20. annis solem nec orientem nec occidentem vidisse, *vid. Waremund. ab Ehrenb. defæd. n. 111. p. 213.* ubi ebrio tantum quatuor pocula porrigit, primum ad sitim, secundum ad lætitiã, tertium ad voluptatem, quartum ad insaniam, ebrioso ulterius, quintum ad iram, sextum ad litigium, septimum ad furorem, octavum ad somnum, nonum ad morbum, decimum ad perpetuam insaniam, quæ divisio num in effectu juris usum habeat, *ex cap. 3 infra* jam patebit. *Conf. Rudrauff. d. thes. 6. quæst. 5. ibid.*

§. III. Moveri hic poterit quæstio an ebrietas non cum alio conjuncta excessu per se delictum sit? Et recte Resp. Aff, cum non tantum contra jus divinum connatum & revelatum, sed & contra humana statuta ita peccetur.

§. IV. Sic enim in sacro Codice passim reperiuntur textus, ex quibus sole meridiano clarius apparet, quantum exinde divino Numini fit tædium, luxuriosa enim res vinum, & tumultuosa dicitur ebrietas, quicumque his delectatur non erit sapiens Salam. Prov. cap. 20 v. 1. add. Esaias c. 5. v. 11. Luc. 21. v. 34. 1. ad Cor. c. 6. v. 10. ubi expresse traditur, quod neque fures neque ebriosi regnum domini sint possessuri. Quod vero ebrietas contra Jus connatum sit admodum eleganti deduxit stilo *Thom. Hobbes.*

Hobbes. in suis Elementis Philosophicis de civi cap. 3.
§ 25. cujus verba hic apponere libet: Porro quandoquidem (inquit) leges naturæ nihil aliud sunt quam dictata rectæ rationis, ita ut nisi quis recte rationandi facultatem conservare conetur, leges naturæ observare non possit, manifestum est eum, qui volens sciensque ea fecerit, quibus facultas rationalis destruatür vel labefactatur, volentem scientemque legem naturæ violare. Nihil enim interest, utrum præter officium faciat quis, an id faciat volens, quo minus officium implere possit. ^{bi} Rationandi autem facultatem destruunt & labefactant homines qui faciunt ea, quibus mens de statu suo naturali deturbatur, id quod manifeste contingit ebriis & crapula gravatis. Peccatur ergo contra legem naturalem ebrietate. Hactenus Hobbesius. Iplis insuper Gentilibus tantam hocce crimen tribuit nauseam ut Cicero honestatis fontem ex sola temperantia atque à nimio potu abstinentia deducere fategerit *lib. de off. c. 4. n. 28.* Quod autem & Jus humanum hocce detestetur crimen, id maxime conspicuum est ex constitutione Imperatoris, quæ continetur in *Nov. 105. cap. 2. §. 3.* ubi Imperator præcautus ne admodum frequens hocce crimen veluti contagiosus morbus latius serperet, dissuadet largitiones istas quæ fieri solebant à Consulibus. ^{sv} Etiam in *Ordinat. Polit. Imperii de anno 1577. tit. 8.* Von übermäßigen Trinken istud severe ceu fons omnis mali inhibetur. Jung. *can. sexto die & c. seqv. dist. 28.* fustius hocce jam deducit. *Aug. Koblau in disput. inaugurali De Jure circa ebrietatem c. 4. n. 4. sqq.*

§. V. Obstare quidem videtur, quod delictum suum debeat tenere autorem, nec in illum cadat malum passionis, qui immunis est à malo actionis *l. 2. t. t. C. Ne filius pro patre* si ergo eveniat, ut quis ad aliorum invitationem inebrietur, tum delictum non committit ebrius seu bibens, sed hospes qui ad bibendum ipsum seduxit, sed *resp.* mandantem & mandatarium esse in eadem poena per *l. 15. ff. ad l. Corn. de Sicar.* uterq; ergo ex delicto erit conveniendus, nisi tamen invitus ad bibendum adigatur, ita enim veniæ quiddam meretur, majori tamen increpatione dignus, qui ejusmodi persuasionibus utitur ad alterum inebriandum. Reperi quidem potest, quod delictum saltem committatur a sciente & volente, qui autem per ebrietatem peccat præsumatur ignorare generosam vini virtutem, aut ignorantia illa est supina; quilibet enim facile sciverit & ex conversatione cum aliis scire maximam esse vini vim poterit, si ergo potus abusu crimen commiserit sibi imputare habet *Horn. lib. 7. phil. moral. c. 4. §. 8.* & admodum eleganter hac de re scripsit *Dn. Pufendorff. de J. N. & G. cap. 4. §. 8.* qui enim (inquit) sponte contraxit ebrietatem, si quidem ipsius effectus apud se notas habebat, aut præsumere poterat, non magis sibi per eam delicta neimputentur postulare poterit, quam quæri de imbre in domum descendente, qui tectum suum per petulantiam dejecit.

§. VI. Quæri hinc obiter poterit, quantum itaque bibere licitum sit? R. licet alicui ex assensu modus nequaquam præscribi possit, optime tamen quis

quis egisse dicendus, si non ex rei multitudine, sed ex ratione ad se relata potu utatur, uti se facere gloriatur Cyrus apud Xenophontem: do primum operam (inquiens) ut nunquam nimum me expleam, deinde ut in ventrem dimissa bene digeram, & hinc est quod semper valeam. Pluribus de eo agit *Rudrauff. Instit. Moral. de temperant. th. 4. p. m. 199.*

§. VII. Porro dividi poterit ebrietas in profundam seu immodicam & superficialiam seu modicam, illa est quando quis adeo vino obruitur, ut qua in terrarum parte degat nesciat, seu quando quis bibit ut vomat, & vomit ut bibat, haec vero mentis alienationem non inducit *vid. Carpzov. pr. Crim. quest. 146. n. 48. sqq.* Porro vel studio accersita seu voluntaria vel casualis vel coacta, quae distinctiones omnes in discutienda quaestione, quam poena ebrii delinquentes coercentur, non exiguum infra cap. 3. praestabunt usum.

§. VIII. Et haec sunt quae de ebrietate proferre debui. Alterum autem, quod circa rubrum explicandum venit, vocabulum est *delinquere*. Ebrietatis enim pedissequa delictum cum sit, e re erit ut exposita paulisper ebrietatis voce me ad ipsius delicti conferam explicationem. Dicitur autem delictum a linquendo quia id linquimus, quod sequi debebamus. *Don. l. 15. comm. cap. 23.* Synonima vocis sunt, maleficium, *l. ult. ff. de privat. delict. l. 16. §. ult. ff. de paen. l. 14. C. eod. flagitium, l. 6. C. de Sepulchr. violat. l. 17. C. de accusat. l. 16. C. de paen. facinus l. 5. pr. l. 1. §. 3. ff. de Paen. l. 19. l. ult. C. ad l. Jul. de Adult. scelus l. 16. pr. & §. 9. ff. de paen. l. 13. de custod. & exhibi-*

& exhibit. rer. l. 1. C. de privat. carc. inbib. etiam cri-
 men, Jura enim nostra ut plurimum & isto voca-
 bulo promiscue cum delicto utuntur l. 131. in fin. ff.
 de V. S. l. 5. §. fin. ff. de pen. l. 7. l. 19. C. eod. l. 1. C. Si ad-
 vers. delict. Quamvis interdum delictum crimini
 publico opponatur l. 17. §. 18. ff. de Edilib. Edict. l. 2.
 §. 8. C. de Vet. Jur. Enucl. Anthon. Matthæi de crim.
 cap. 1. proleg. u. 1. Inde mihi delictum in genere est fa-
 ctum contra leges dolo vel culpa commissum pr. J. de
 Obligat. que ex delicto oriuntur. l. 1. C. ad l. Corn. de Sic.
 & DD. passim Intelligitur autem hic delictum con-
 summatum, datur enim & delictum imperfectum, seu
 conatus, qui est vel ab actu remotus & tum in deli-
 ctis levioribus regulariter plane non punitur l. 1.
 §. fin. ff. Quod quisque Juris l. 15 §. 10. ff. de injur., in
 delictis autem gravioribus plectitur pœna arbitra-
 ria l. 1. pr. & §. fin. ff. de extraord. crim. vel proximi-
 mus, qui pœna extraordinaria tam in levioribus,
 quam in gravioribus regulariter puniri solet C. C. C.
 art. 178. ibi: in einem Fall härter als in andern Carpz.
 pr. Cr. qv. 17. n. 13. & 18. Laut. in Comp. ff. tit. de Privat.
 delict. pr. Jul. Clar. §. fin. qv. 92. n. 2. circa fin.

§. IX. Sub facto autem in definitione etiam
 mandatum ad faciendum continetur, nam & man-
 dans facere in jure dicitur l. 152. §. 1 ff. de R. I. ac ea-
 dem regulariter afficiendus pœnâ qvâ mandatarius:
 parvi enim referre visum est, suis manibus quis de-
 jiciat, an vero per alium l. 1. §. 12. ff. de Vi & Vi arm. ni-
 hilque interest, utrum occidat quis ipse, an vero
 causam mortis dolose præbeat l. 15. §. 1. Ad L. Cornel.
 De Sicar. l. 11. §. Si mandatnm ff. de injur. Hinc Au-
 gustinus

gustinus, periculose, inquit, decipiuntur, qui eos tantum homicidas esse existimant, qui manibus homines occidunt & non prius eos, per quorum consilium, fraudem & exhortationem homines extinguuntur. Farinac. *qv.* 129. n. 23. atque ita quotidie pronunciari testatur Carpz. *pr. Crim.* p. 1. *qv.* 4. n. 9. *seqq.* Quæritur hic, Num sola rati habitio etiam comprehendatur sub facto? Affirmatur id ipsum in l. 152. §. 2. ff. de R. J. ibi: in Maleficio rati habitio mandato comparatur: Idem docet: c. ult. X. de Infant & langvid. Unde si aliquis nomine meo quem de fundo deiecit, ego vero hanc dejectionem ratum habui, tenebor interdicto unde Vi ad restituendam possessionem, ac si à principio mandassem l. 1. §. quoties ff. de Vi & Vi armat. l. 5. ff. De Aq. & Aqv. plur. ar. cend. Distingvendum tamen erit cum Dn. Flek. in Biblioth. jur. Civ. Theoretico-Practica L. 4 in princ. n. 79. *seq.* Num nude quis alterius delictum rati habeat, num simul de maleficio participaverit, puta: si quis bovem per famulum furto abductum mactaverit, priori casu ordinaria quidem pœna, posteriori autem extraordinaria duntaxat obtinebit, quia præteritum factum, quo damnum illatum est, à ratificante tanquam à causa efficiente non dependet, rati habitio enim sequens non potest dici causa damni antea dati Struv. *Syntagn. Jur. Civ. Exercit.* 84. th. 12. n. 3. sed propter applausum duntaxat fictione juris habetur ac si mandasset, inde pœna non ordinaria, utpote quæ vel exteriorem operationem, seu motionem in istud delictum influentem, vel participationem de delicto simul requirit, sed extraordinaria duntaxat locum ha-

B

bebit:

bebit: Matthæus *de Crimin. prolegom. cap. 1. num. 14.* Vid Covaruv. *ad Clement. Si furiosus p. 2. §. 1. n. 4. seqq.* Trentacinq. *de Procurat. Resolut. 9. n. 3. in fin.* Cardin. Tusch. *Pract. Concl. lit. R. Concl. 28.*

§. X. Porro sub *facto* in definitione etiam actus negativi, seu non factum continentur, qui enim non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit *l. 121. ff. de R. I. l. 4. ff. Quæ in fraud., Credit.* inde qui reticet revelanda, omnino delinquit, sicque à magistratu interrogatus super delicto si non revelaverit, recte punitur. Lauterbach. *in Colleg. theoret. pract. tit. ff. de interrog. in jur. fac. §. 9. in fin.* Struv. *Syntag. Jur. Civ. Ex. 48. th. 105. in fin.* Suppressio enim delicti ita pro turpi reputatur factum, de quo fuisse legi potest Dn. Bardili *Disput. De Reticentia §. 37.* & Dn. Willenberg. *Disp. de Scientia delicti punita per tot.* Culpa in eo, qui non resistit, cum potuit & debuit *l. 13. §. 7. ff. Locat.* Et qui non asportari patitur ea, sine quibus refici iter non potest, vim facere videtur quo minus reficiatur *l. 4. ff. de itiner. & act. priv.* Hinc etiam Vasallus debitam operam Domino non exhibens, ut si captum ab hostibus aut carceri injustè inclusum, cum possit, non liberet *2. F. 24. §. 2. vers. item si: Vel si Dominum inopem pro quantitate feudialere negligat arg. 2. f. 6. & 2. f. 55. §. firmiter 1.* Aut renovationem feudi intra annum & diem non petat. *2. f. 24. pr.* hisce aliisve modis omittendo peccat & feudo privatur. Stryk. *Exam. jur. feud. cap. 17. q. 15. c. 18. q. 34, c. 23 q. 40. seq.*

§. XI. Delictum varie dividitur in ordinarium & extraordinarium, publicum vel privatum, capitale

capitale vel non capitale &c. de quibus Tholoſ. Syn-
tag. *jur. univ. l. 30. c. 11 per tot.* Ratione inſtituti mei
divido delictum late acceptum in voluntariū vel in vo-
luntariū: in dolofum, culpoſum & caſuale *l. 2. ff. de LL.*
l. 11. §. 2 ff. pœnis. l. 5. §. 2. ff. eod. l. 1. C. Si adverſ. delict.
Theod. *Colleg. Crim Diſp. 1. 1b. 3.* ubi occurrit dubium,
Num Ebrietas ex ſaluti potatione pro Principe vel ami-
cis eveniens pro caſuali, aut affectata habenda? Ad
delictum caſuale quodammodo ſpectare pro-
propugnat Gryphiand. *Oecon. Leg. lib. 2. c. 14. n. 24.*
ſeqq. Ego pro ratione circumſtantiarum eam mo-
do ad delictum voluntarium, modo ad involunta-
rium referrem. Si enim in ſalutem alterius ad biben-
dum magna copia invitus quis adigatur, vel ſine
periculo recuſare id nequeat, delicto involuntario
potius annumerarem iſtam ebrietatem, ubi autem
ſponte pro ſalute alterius in eam prolabantur, omni-
no delictum voluntarium erit, v. Prænob. Dn. D.
Gief. Patris dilect. *diſp. inaug. de conſuetud. 1b. 12.* qv-
ale Sereniſſ. Haſſiæ Landgravius Mauritius hocce de-
lineavit diſticho:

Qui vult alterius cyathis haurire ſalutem.

Tale lucrum referet, perdat ut ipſe ſuam.
Non tamen ita ipſam ſalutipotationem per ſe deli-
ctum eſſe intendo, nam mutuo nos bene compre-
cari tenemur, noſtramque benevolentiam debitam
ubique comprobare, qvare ergo nec hauſtu vini al-
teriusve liquoris iſtam confirmare liceret? obſtricti
omnino ſumus qvovis modo cavere lites, ſuſpicio-
nes, convicia, qvæ ſingula ex denegata ſaluti pota-
tione exoriri videmus, imo eſt contra bonos mores
& ſpeciem habet ſingularitatis, moroſitatis vel arro-
gantia,

gantia, vel hostilis aut invidi animi in eum, cui poculo bene precari solemus, non sequi id quod omnes instituunt, modo non poculum hilaritatis consummatum in poculum luxuriae & indifferenter eadem quantitas vini & volenti & nolenti & potenti & impotenti obrudatur, nullum quippe detrimentum fiat vel sobrietatis, vel fanitatis vel honestatis vel libertatis.

CAP. II. DE DELICTIS AB EBRIO COMMISSIS. SUMMARIA.

- | | |
|--|---|
| <p>§. 1. Ventilatur quaestio, num ebrius revera delictum committat.</p> <p>§. 2. Quare de furto ebrii primo loco agatur.</p> <p>§. 3. Probat, quod ebrius committat furtum.</p> <p>§. 4. Ostenditur, quod & dolus interdum committat furtum.</p> <p>§. 5. Etiam Ebrius Rapinam committit.</p> <p>§. 6. Deducitur, Num Raptor occidi possit.</p> <p>§. 7. Exponitur, quando ebrius bonis aliquem spoliaturus occidi potest.</p> <p>§. 8. Damnum injuria datum etiam ebrio applicatur.</p> | <p>§. 9. Porro injuriam ab ebrio inferri ostenditur.</p> <p>§. 10. Adducitur crimen lese Majestatis & dolus & culposum summe ebrio commissum, cui affine crimen blasphemiae.</p> <p>§. 11. Stuprum aliisque delicta carnis ab ebrio committi probatur.</p> <p>§. 12. Homicidium & incendium tum dolosum tum culposum ebrio applicatur.</p> <p>§. 13. Etiam Parricidii crimine se polluere ebrium, praesudicio evincitur.</p> <p>§. 14. Vim publicam, Crimen Peculatus & Plagium committi ab ebrio ostenditur.</p> |
|--|---|

§. I. An-

§. I.



Ntequam ad rem ipsam deveniamus, in antecessum, veluti præjudicialis discutienda erit quæstio, an ebrius delictum commississe recte dici possit. Pro negativa sententia pugnat, quod (1) finis in omni a-

ctione, quo se dirigat, inspicere debeat Decian. l. 3. conf. 4. n. 32. Menoch. conf. 1. n. 31. unde rationem finalem animam cujuscunqve negotii recte Gail. dixit l. 1. Obs. 10. n. 6. Jam vero ebrii finis non est, ut delinquat, sed ut animi curas vini calore dissolvat memor istius :

Fœcundi calices, quem non fecere difertum ?

(2) Quod ad delicta requiratur consensus l. 53. ff. de furt. ebrietas autem mentis alienationem inducat c. Si concupiscentia 15. quæst. 1. cap. 14. X. de Vita & honest. Cler. Inde nec velle nec consentire dici poterit ebrius, & cum se delinquere nesciat c. sane. caus. 15. qv. 1. nec nomen delicti habebit locum, imo quomodo consentiat, qui ne sentire quidem potest l. 8. §. 2. ff. de Option. leg. ut inde per erudite Pufendorff. l. 1. c. 4. §. 8. de F. N. & G. dicat, quod voluntatem ad certum genus non parum irriter ebrietas, ex potu potissimum aut fumis proveniens, quæ violento motu spiritus ac sanguinem impellit & perturbat, & ad libidinem, cum primis iracundiam atque temeritatem homines proclives reddit, unde in actibus indifferen- tibus, & quos suscipere vel omittere in cujusvis est arbitrio ipsa ubi mentem nimis obfuscavit, id officit ut ne actum ille effectus sequatur, qui securus erit si

B 3

delibe-

deliberato fuisset susceptus animo. (3) quod ebrius æquiparetur furioso *c. 5. dist. 35.* cujus nulla voluntas *l. 40. ff. de R. J.* quique ab omni pœna immunis *l. 14. ff. de offic. præsid. l. 3. §. 1. de injur.* licet etiam incendium ab isto excitatum, tamen nequidem extraordinarie punitur. *arg. l. 9. §. 2 ff. ad L. Pompej. de Parricid.*, quod præjudicio corroborat Carpzov. *pr. Crim. part. 3. qu. 145. n. 21.* Obtinet idem in aliis delictis, v. gr. *Homicidii* tum simplicis *l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* tum qualificati, puta *parricidii* *l. 13. §. 1. ff. de offic. præsid.* Carpzov. *d. l. Violentæ* invasionis. Menoch. *de Remed. Recuper. poss. remed. 9. num. 91.* Hisce non obstantibus affirmativa mihi magis arridet sententia, non tamen sermo est de modica ebrietate, in illam enim incidens parum distat à sobrio & dolo malo crimen admissum præsumitur Carpz. *pr. Cr. p. 3. qu. 146. n. 48. sqq.* Gail. *2. Obs. 110. n. 27.* Nec de eo, qui sine omni prorsus culpa ebrius factus. Bouric. *in Captiv. c. 2. n. 32.* Jul. Clar. *Recept. sent. L. 5. §. fin. qu. 60. n. 12.* ita enim nec culpa nec dolus adscribi potest. Sed loquor hic de ebrietate enormi in quam vel culpa vel ex proposito v. g. ad dissolvendas curas, quis incidit, ab isto ergo verum committi delictum, asserere non dubito (1) quia ubi dolus vel culpa propria adest, ibi forma delicti adest, *pr. J. de Obligat. quæ ex delict. junct. §. 3, 4, 5, 6, 7. & 8. J. de Lege Aquil. Dn. Stryck. in Not. ad Lauterb. tit. ff. de Privat. delict. verb. ex culpa. pag. m. 975. fin.* prout peccatum infirmitatis & ignorantie æque verum peccatum, ac proæreticum, licet posterius sit tale in pleno gradu, variant enim toties circumstantiæ,

tiæ, quæ uti delicta modo augent, modo minuunt, ita & pœnæ modo exacerbantur modo mitigantur. Georg. Fleck. *Biblioth. jur. Civ. lib. 6. tit. 16. n. 1.* sufficit ergo aliquem contra legem egisse, nec obstat *pr. f. de Obligat. quæ ex quas del.* Vid. Hopp. *in Comment. ad d. princ.* Accedit (2) Quod iste qui consentit in media illicita, etiam in ea consensisse censetur, quæ inde erant consecutura, Pufendorff. *de J. N. & G. lib. 3. c. 6. n. 4.* antecedenti enim concessio, conceditur & consequens *l. 1. §. 1. ff. Si ususfr. pet. l. 3. §. qui habet ff. de servit. rustic. præd.* inde notatu digna admonitio, quæ legitur *in c. 7. caus. 15. q. 1. Sane discimus vitandam ebrietatem per quam crimina cavere non possumus:* Et quis (3) dubitaret, ebrium re vera delinquere, cum propter ejusmodi delictum commissum modo fustigatione, modo relegatione plectatur, quod variis præjudiciis illustrat Carpzov. *pr. Crim. p. 1. qu. 39. n. 37 & 38. item part. 3. q. 146. n. 42 seqq.* Ita parum stringunt dubia antea producta, licet enim animus ebrii non sit delinquere, sed delectamentum quærere, aut ad lætitiã excitari, medium tamen ad eum finem tendens malum, qui ergo in istud consentit, censetur etiam consentire in delictum, quod ex eo promanare facile potest *c. 7. caus. 15. q. 1.* Ejusdem ponderis est secundum argumentum, licet enim ebrius non directe consentiat in delictum, ita siquidem dolo peccaret, sufficit tamen eum indirecte & per consequentiam consentire in illud, prout directe in nimiam potationem fertur voluntas, ita indirecte in delictum; Etiam quando Medicus ex imperitia male fecat,

secat, præter intentionem agit, quin omnes qui culpa damnum inferunt, directe illud non intendunt, & tamen verum ab illis committi evidens ex *t. i. Ad L. Aquil.* sufficit, illos in causa esse damni dati, ita enim contra leges peccant. Licet ergo ebrius ignoret quid agit, sufficit tamen, illum in causa esse, se istud ignorare, sicque delicti auctorem esse: Ex hisce jam facile *tertium* resolvitur dubium, nam licet ebrius furioso æquiparetur certo respectu, nempe quoad actum præsentem, ubi perpetratur factum, dum ambo ignorant quid agunt, diversitas tamen manifesta quoad causam præcedentem, ebrius enim in culpa, usum rationis tolli, sicque est causa delicti, quoties autem culpa casum præcedit, tenetur quis de casu, *l. 5. s. 4. ff. commodat.*

§. II. Resoluta sic quæstione ex cujus decisione reliqua stantque caduntque, ad ipsa delicta me convertam: Chorum ergo ducat furtum, non tantum, quia illud crimen propter effrænatam avaritiam omnium fere generalissimum est, & facile principem locum hoc feraci furum ævo obtinet, haud parvo cum reipubl. damno, ut nullæ cruces, nulla tormenta ei coercendo sufficere videantur, uti festive suo more scribit Carpz. *pr. Crim. P. 2. qv. 77. n. 1* ibique alleg. Matth. Wesenb. *in paratit. ff. de furt. in pr.* verum etiam ut filium Imperat. Justin. *in tit. 7. de Obligat. qv. ex delict.* sequamur, ubi quid furtum sit ex §. 1. facile discimus, ut inde ulterioribus descriptionibus paginam si referre vellem, actum me egisse quilibet dixerit.

§. III.

§. III. Quando ergo ebrius rem alienam invito Domino lucrandi causa contrectat, furtum utique committit, licet non in pleno gradu, utpote ad quod contrectatio fraudulosa requiritur *S. J. J. d. tit. l. 50. §. 2. ff. de Furt.* hic autem culposa duntaxat adest, quæ omnino verum involvit delictum, quia adest factum naturâ turpe contra leges commissum, quale delictum non alio quam furti nomine insigniri potest, prout jam qualitates doli & culpæ ad gradus & ad formam cujuscunque delicti spectant, ita etiam delictum pro diversitate istius gradus diversimode punitur, quando ergo in furto reperitur qualitas doli, sicque contrectatio fraudulosa adest, tunc etiam adest forma furti in pleno gradu, ubi autem qualitas culpæ reperitur, ibi adest quidem revera furtum, sed non in pleno gradu, sicque mitiorem meretur pœnam, idem in homicidio, aliisque delictis occurrit, quæ ob eandem rationem dolosa vel culposa audiunt. Si tamen non lucrandi, sed libidinis causa ancillâ raperet ebrius, non furtum, sed aliud delicti genus est. *l. 39. ff. de furt.* Obstant quidem videtur *l. 82. ff. eod.* ubi ille, qui ancillam non meretricem libidinis causa rapuit, furtum facere dicitur: Ast *d. l.* intelligenda de libidine, quæ lucri locum obrinet, quando rapiens corpore istius quæstum facere intendit Hopp. ad *d. §. 1. 7.* quamvis Bacchov. ad *Wes. N. 6. ff. de furt.* putet, transponendam esse particulam negativam atque ita legendum, *qui ancillam meretricem non libidinis causa &c.* quam explicationem amplectitur etiam Ekhold. ad *d. tit. §. 9.* & Stryck, ad *Lauterb. eod. tit. verb. vide tamen 82.*

C

§. VI.

§. IV. Quod si verò ebrius, res alterius qui abstulit, vini vaporibus dimissis vel gloriatur, tale quid à se perpetratum, vel ablata quoque non restituat tunc furtum in pleno gradu commissum rectè dicitur, quia ratificatio præcedentem culpòsam contrectationem convertit in fraudulosam & declarat animum, se dolo contrectasse, si non fuisset ebrius, *arg. l. 1. §. 14. ff. De Vi & Vi arm.* inde ordinariam pœnam dicitur Carpz *pr. Crim. q. 146. n. 55.* idem de eo, qui dormiendo deliquit, & experge factus ratum habuit quod antea male egit, testatur Dn. Friese in *Disp. de delictis dormientium* *ib. 20.* Si autem sobrius factus rem furtivam Domino restituerit, istumque delicti in ebrietate commissi pœnituerit, lenior omnino statuenda pœna. Pœnitentia enim delinquentem non prorsus innocentem reddit *l. 65. ff. de furt.* Farinac. *part. 3. Oper. Crimin. qv. 39. n. 1.* Petr. Theodor. in *Colleg. Crim. Disp. 10. ib. 4. lit. 1.* quamvis illum tunc simpliciter absolvat Dn. Joh. August. Köhlau in *Disp. inaug. De jure circa ebrietatem* *c. 4 n. 76.*

§. V. Furtum excipit RAPINA, & cum illa sit delictum improbius, expediret agere, an & illo polluere sese ebrius possit, verum cum rapina potissimum in eo saltem à furto differat, quod per rapinam proximi bona ad nos *violenter* trahamus *princ. J. de Vi bon. rapt. l. 2. ff. eod.* ea quæ de furto ebrii antea adducta, ad rapinam jam quilibet ipse facile applicabit. Per vim autem quando dicimus furtum à rapina distingvi, non intelligimus vim bonis adhibitam, cum & sic detur furtum violentum, seu

feu cum effractione conjunctum, sed vim potius personæ illatam, quæ recusanti res manu violenta auferretur: Dn. Stryk. *ad Lauterb. tit. ff. de Vi Bon. rapt. verb. violenter fit.*

§. VI. Circa hanc rapinam occurrat dubium, an ebrius bonis aliquem spoliaturus possit occidi? Cui autem præmittenda decisio, num in genere Raptorem occidere liceat? utpote ex quâ potissimum dependet resolutio prioris dubii: Permissum autem esse possessori pro defensione possessionis suæ pugnare, evidens satis reddit *l. 1. C. Unde Vi l. 3. §. 9. ff. de Vi & Vi arm.* Cujus elegans ratio in *l. 1. C. Quand. lic. unic. sine judic. se vindic.* melius enim est occurrere in tempore, quam post exitum vindicare: Refert sese hæc dispositio juris civilis ad naturalem defensionem utiqvè licitam, quicquid enim meum est, sine injuria mihi auferri nequit. Gvilielm. Grot. *in Princ. l. N. c. 7. §. 8.* injuriam autem esse declinandam, docet natura ad sui conservationem proclivis, illa enim est, quæ in ipsis statim principiis, quibus nati sumus, amorem nostri & charitatem nobis implantavit: Hinc hominem amor sui & bonorum suorum penitus animo infixus movet atqve impellit, ut sollicitam sui suorumque bonorum curam agat, suaque commoda omnibus procuret modis, eaque quæ bona sibi videntur, acquirere, & mala repellere nitatur: Nam & natura, non animalis tantum, sed quoque rationalis, à destructione & interitu corporis & fortunarum maxime abhorret, utpote cui consentaneum est, tum vitam, tum bona adversus omnem vim

C 2

defen-

defendere: Est itaque illud jus natura comparatum
l. 1. §. 27. ff. de Vi & Vi armata. Num autem illa
 defensio bonorum, æque ac corporis, ad eadem
 Raptoris extendi possit, non parum controvertitur:
 Affirmant istud indistincte, quando res sunt
 pretiosæ & ego illas aliter conservare non possum
 Dn. Fleck. *in Biblioth. Jur. Civ. Theoretico-Pract.*
lib. 1. Tit. 7. n. 14. Farinac. *part. 5. Oper. Crim. qv.*
125. Ayrer. *in tract. de Homicid. necess. part. 1. n. 156.*
seqq. Carpzov. *pr. Crim. qv. 32. n. 14. seqq.* Mihi
 magis arridet sententia illorum, qui distinguunt,
 Num res suas defendens in vitæ periculum simul
 præcipitur: Num periculum rebus tantum immi-
 neat. *In priori casu eadem in vasoris affirmo, in*
posteriori autem casu eadem illicitam esse dico cum
 Dn. Brunnem *ad l. 1. C. unde Vi n. 5. & ad l. 1. ff.*
De Vi & Vi arm. n. 20. Berlich. *part. 4. Concl. 12. n. 37.*
seqq. Bolognett *ad l. 3. ff. de J. & J. n. 68.* Dn. Lembke
in Diss. de Defens. necess. th. 28. & 29. Dn. Rahn. *in*
Diss. de Defens. necess. th. 56. Wesenb. *1. Consil. 19. n.*
52. Treutl *Vol. 1. Diss. 1. th. 4. lit. C. Fachin. 1. Contr.*
Jur. 31. Hopp. *in Comment ad §. 2. J. de Leg. Aquil.*
verb. Latronem. *Posterius probatur (1) quia inter*
 vitam hominis & res nulla est proportio, homo e-
 nim ad imaginem DEI creatus & Christi sanguine
 redemptus *Genes. 1. v. 27. c. 2. X. de Homicid.* res autem
 propter hominem sunt datæ *l. 28. in. fin. ff. de usur.*
 inde omnibus rebus, etiam pretiosissimis anteferen-
 da vita hominis *l. 21. C. de SS. Eccles.* Rerum etiam
 jactura reparabilis est, cum res æstimari & per Ma-
 gistratum repeti, aut aliunde iterum obtineri pos-
 sunt,

sunt, vita autem nunquam in hac vita reparari potest; (2) Si talis cruenta defensio ad conservandas res meas permessa, auferentem res meas & mox aufugientem telo prostrernere vel exploso globulo trajicere impune possem, ut illo perempto res meas recuperem, id quod tamen injustum. Grot. *de J. B. & P. Lib. 2. cap. 1. §. 12. n. 1.* Berlich. *d. part. 4. Concl. 12 n. 39.* Molin. *de J. & J. Tr. 4. Disp. 16.* Tulden. *ad Cod. tit. Quand. lic. univ. sin. jud. se vind.* Leder. *de Jur. Bell. priv. Lib. 2. cap. 2. §. 3.* (3) per *l. 4. ff. ad L. Aquil.* furem diurnum occidere non permittitur, nisi telo se defendat, sicque periculum vitæ simul intentet, etiam furem nocturnum declinari non possit *l. 9. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* nox enim in fure delictum auget *arg. l. 4. C. de Adult. præfertim* si aliquando instrumento, quo nocere possit, instructus fuerit, animus enim occidendi ita contra ipsum præsumitur: Nec hæc infringuntur (1) Art. 150. CCC. *verb. So einer zur Rettung eines andern Leib / Leben oder Gut jemand erschläget /* nam circa defensionem rerum cædes raptoris indulgetur, quando defensor in periculo vitæ constituitur, ut si raptor ipsi armis resistit; per *d. l. 4. ff. §. 1. ad L. Aquil.* ibi: *cum telo se defendat*, alioquin autem vita hominis longe præferenda rebus cujuscunque pretii *l. 21. fin. C. de SS. Eccles.* prout ergo defensio vitæ & corporis cum internectione alterius in *d. Art. 150.* præsupponit observatum moderamen inculpatæ tutelæ, ut patet ex *l. 3. C. Ad. l. Corn. de Sicar. & Art. 142. CCC.* ita etiam defensio bonorum

rum illud moderamen postulat per *l. 1. C. unde Vi.* Adeoque requiritur, ut defensor bonorum in vitæ discrimen veniat; per *l. 3. §. 9. ff. de Vi & Vi arm.* inde si fur aut raptor eqvo forte insidens vel alio modo tam celeriter cum rebus ereptis auffugiat, ut eum assequi, & res meas recuperare non possim, telo istum vel globulo occidere, cum nulla adfit justa proportio, nec ullum vitæ periculum, pro sola conservatione rerum nequaquam licet: per *d. l. 4. ff. Harprecht. ad §. 5. f. de publ. Judic. n. 182.* Zoanett. *de Necessar. defens. part. 2. n. 57.* Parum (2) facit, quod bona hominis quodammodo vita & secundus quasi sanguis dicantur. *Syrach. 34. v. 25. l. 4. ff. de Agnosc. & alend. liber.* Siquidem hoc tantum procedit certo respectu, quatenus bonis indigemus ad conservandam vitam, non verò simpliciter, nam bona amissa recuperari possunt, non autem vita amissa, inde magna inter vitam hominis & bona caduca est differentia. Prius perspicuè satis probatur ex antea alleg. *Art. 150. CCC.* So einer zur Rettung eines andern Leib/Leben/NB. od. Gut jemand erschläget: add *l. 3. §. 9. ff. de Vi & Vi armat.* Bacchov. *ad Treutl. V. 2. D. 32. th. 6. lit. H.* Brunn. *ad l. 1. C. unde Vi. in fin. Tabor. Armament. Just. c. 1. n. 17.* Siquidem defensio bonorum æque ac corporis à natura descendit, uti supra ostensum, unde si armis accedat raptor sicque possessor rerū in vitæ periculo constitutur, vim vi repellere potest *d. l. 3. §. 9. ff. l. 1. C. unde vi,* quæ violentiæ per vim repulsio juris naturalis esse dicitur *can. 7. dist. 1.* Nec stringit quod alter in peccato mortali interfectus periculum damnationis incurrat

currat: Nam volenti injuria non fit, damnumque quod quis sua culpa sentit, sibi & nulli alii imputare debet, per vim enim illatam obligatio illa, qua homo hominem lædere non debet, soluta est: Nec possessor rerum suarum nullo modo obstringi potest, ut alterius nequitiae vitam suam & bona exponat, sane ita fenestræ variis malitiis apererentur, nec commissio defensionis est medium, quo de salute æterna temerario insultatori conservata certi esse possimus: Eo tamen casu è re est, ut volens occidere furem vel raptorem edat clamorem *l. 4. §. 1. ff. Ad Leg. Aquil.* eaque testatione declaret, se in summo versari & rerum & vitæ discrimine, & quidem ideo, quod invadentem non agnoscat neque ullos habeat, testes, qui illum agnoscere & testimonio suo furti arguere possint; huncce clamorem non præcise necessarium, utilem tamen existimat Struv. *in Diff. de Vindict. privat. th. 30.* Jung. Puffendorff. *de J. N. & G. lib. 2. c. 5. 17.* Zoanett. *Tr. de Defen. Trip. part. n. 43.*

§. VII. Jam inquirendum, num hætenus dicta quoque in ebrio procedant: Videtur quidem istud negandum, quia animus vim faciendi & injuriandi in istum non cadere censetur *vid. l. 3. ff. de injur.* Ast cum eadem, imo potior ferme ratio in ebrio, quam in sobrio, prædicta etiam omnia locum habere debent, ebrius siquidem majori impetu in alterum plerumque fertur, quam sobrius, nimius enim iste potus sanguinem toties ad majorem impellit temeritatem, circa defensionem autem necessariam non tam animus faciendi vim, quam ipsium

psimum factum violentum respicitur, istud enim nos valde lædere potest, & facit in periculum vitæ nos incidere, licet animus ab injuria immunis, adeoque huic recte resistimus; Georg. Obrecht *Tr. de Necess. Defens. c. 6. n. 58.* Berlich. *part. 4. concl. 12. n. 34.* inde & si furiosus, noctambulo similisque gladio arrepto vim inferre nitatur, pro necessaria defensione occidere licet, cum defensio permissa contra vim à quocunque illatam *L. 2. C. ad L. Cornel. de Sicar. l. 5. pr. ff. ad L. Aquil. Berlich. d. l. n. 32.* Bocer. *de Duell. cap. 10. n. 17.* Dn. Postel. *inaug. Diss. de eo quod justum circa defensionem: Sect. 1 n. 37.* Si tamen ebrium, quando v. g. armis instructus irrui in domum meam meque offendere & res meas rapere conatur, apprehendere possum, occidere illum non licet *l. 5. ff. ad L. Aquil. Dn. Lynker. Disput. de jur. occurfus cap. 5.*

§ VIII. Porro DAMNUM injuriâ datum ebrio recte applicari, istudque actione L. Aquiliæ omnino vindicari assero. Nam per injuriam intelligi damnum contra jus, dolo vel culpa datum, factis patet ex *l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. §. 2. & 3. ff. eod.* etiam levissimam culpam comprehendi, probat *l. 44. ff. eod.* Non autem facile quis negaverit damnum ab ebrio illatum ex culpa illius promanare, dum enim directe in nimiam potationem, per consequentiam etiam in damnum ebrietate inflictum consentit: *arg. c. 7. Caus. 15. q. 1. ibi sane discimus vitandum ebrietatem, per quam Crimina cavere non possumus,* inde parum contra hoc facit quod de furioso & infante in *d. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil.*

Aquil. dicatur, in illis culpam non esse, cum suæ mentis non sint, siquidem ebrius in culpa est, quo ad actum, quo damnum infert, exulare mentem, adeoque recte auctor damni dati nominatur, prout fufius id supra §. 1. *in fin.* jam deductum.

§. IX. Similiter INJURIAM tum verbalem, tum realem facit ebrius, quando in contumeliam & ignominiam alterius verbis vel facto aliquid committit. *arg. l. 5. C. de injur. ibi in consulto calore*, licet non injuriam pleno gradu ita inferri facile largiamur, utpote ad quam dolus seu animus injuriandi directus requiritur *l. 3. §. 1. & 2. ff. de injur. l. 9. & 10. C. eod.* qualis in ebrium non cadit, prout tamen voluntas directe in nimiam potationem, ita indirecte *l. 4. C. Ad L. jus. de adult. l. 38. §. 8. ff. eod.* fertur in injuriam *c. 7. caus. 15. qv. 1.* & prout homicidium dolosum & culposum, item incendium dolosum vel culposum datur &c. ita nulla ratio adest, quare nec injuria dolosa statuatur & culposa, etiam injuriantem culposum nominat ebrium Dn. Lauterb. *in comp. ff. de injur. vers. injuriam faciunt.* Si autem ebrietate cessante gloriatur de eo, quod in ebrietate commisit, culposam illa injuria in dolosam omnino convertitur Carpzov. *pr. cr. q. 146. n. 55.* Sin verò ebrium facti poenituerit, mitior poena statuenda *arg. l. 4. C. ad L. Jul. de Adult.* Sola tamen poenitentia nocens non esse definit *l. 17. §. 1. ff. de Adilit. Edict l. 65. ff. de furt.* Lauterb. *d. l.* imò si propositum injuriandi habuerit & ebrius factus in effectum illud deduxerit, injuria illa pro dolosa habetur, Carpz. *pr. cr. qv. 146. n. 56. Richter. V. 1. p. 5.*

D

confil.

consil. 6 n. 43. Damhaud. pr. crim. cap. 86. n. 18. Occurrit dubium, quando reus actione injuriarum conventus opponit summam ebrietatem, ut mitior dictetur poena, num soli allegationi habeatur fides? quod recte negatur, nam aestimatur animus injuriandi ex verbis vel factis per se injuriosis, donec contrarium probetur l. 5. C. de injur. junct arg. l. Labeo in fin. ff. de Suppell. legat. l. Nepos ff. de V. S. Gail. 2. O. 106. Cothman Vol. 1. consil. 15. n. 143. Berlich. part 5. concl. 60. n. 3. & 4. Si tamen praesumptiones pro se habeat, sed infirmiores, quam ut iis summa ebrietas satis evinci queat, ad juramentum purgatorium admittendus: Carpz. pr. crim. qv. 96. n. 23. & qv. 97. n. 6 Gail. lib. 2. O. 196. n. 5. Brunnem. adl. 5. C. de injur. n. 8.

§. X. Resolutis ita dubiis, quae circa privata delicta occurrunt, publica ordo provocat, ubi fit. ult. ff. de publ. judic. sequi liceat, primo loco ponendum Crimen laesae MAJESTATIS, quod est vel perduellionis, vel laesae majestatis in specie sic dictum. l. ult. ff. ad L. Jul. Majest. Illud est quando quis directo adversus Summum Principem vel Republicam hostiliter gerit. exempla sunt in l. 3. & 4. ff. eod. Hoc vero, ubi quis adversus Principis vel Republicae superioritatem per indirectum aliquid facit, jura Majestatis usurpando: v. g. Si quis monetam cudat, privatum carcerem habeat &c. l. 2. C. de fals. monet l. un. C. de Privat. carcer. Utroque crimine pro re nata polluere se ebrium posse patet, nec obstat, quod ad utrumque sceleratissimum consilium l. ult. C. ad L. Jul. Maj. seu dolus malus l. 1. §. 1. ff. eod. requi-

requiratur, qualis in ebrium, qui nimium hauriendo intellectum suum sepelivit, non cadere potest: Nam, vel propositum ejusmodi turpe ante ebrietatem jam habuit & ebrius factus istud in effectum deduxit: Vel ejusmodi intentionem antea non fovit: *priori casu omnino dolosum crimen, nam & sola voluntas tanti sceleris, quæ ebrietatem præcessit, ad istud sufficit l. 5. C. ad L. Jul. Maj. atque præsumitur iste illud perpetrasse, licet se haud inebriasset: Carpz. pr. Cr. qv. 146. n. 56. posteriori autem casu non quidem crimen læsæ Majestatis in pleno gradu commissum dici potest, omnino tamen culposum est, quod licet non ordinariam, gravem tamen, de qua infra, meretur pœnam. Est huic affine Crimen BLASPHEMIÆ, quod itidem propter ebrietatem minui præjudiciis nonnullis evincit Carpz. pr. Crim. qv. 45. n. 57. seqq.*

§. XI. Committi STUPRUM aliaque delicta carnis ab ebrio, experientia ipsa proh dolor factis corroborat, & magis inde evidens, quod ebrietas violento motu spiritus ac sanguinem, uti loquitur Pufendorff. *Lib. 1. c. 4. De J. N. & G. impellit & ad libidinem atque temeritatem homines proclives reddit: Venter enim mero æstuans cito despumat in libidines, ubi ergo ebrietas ibi libido dominatur. c. 5. Distinct. 35. Ita inebriaverunt Loth filia ejus & se nescienti miscuerunt c. 9. caus. 15. qv. 1. Huic quidem reclamare videtur, quod dolosa voluntas ad ejusmodi delicta requiratur l. 12. §. 43. ff. Ad L. Jul. de Adult. c. 6. caus. 32. q. 5. Ibi: non potest fieri, ut nisi quis mæchetur prius in*

corde, mœchari possit in corpore: Item, Sicut nemo impudice utitur corpore, nisi Spiritu prius concepta nequitia: Inde quando mas, qui cum foemina, uxore aliena, quam meretricem vulgarem esse credit, concubuit, reapse ignoravit, quod alterius sit uxor, ab adulterii crimine liber censetur, quia adulterium sine dolo non committitur *d. LL.* sed ad istud certa requiritur scientia, quod sit uxor: Harpr. *ad §. 4. 7. De publ. judic. ibique plena manu alleg. DD.*: Cui pondus addit præjudicium productum à Carpz. *pr. Crim. qu. 61. n. 45.* Ibi: Hat der gefangene Soldat fürgegeben / daß er nicht gewußt / das bemeldtes Weib ein Ehe-Weib sey / indem sie sich vor eine gemeine Dirne / die einem jeglichen auch umb 6. Pfennige ihren Willen pfleget aufzugeben / welches das Weib in gehaltener Confrontation auch nicht verneinet &c. So mag wieder ihn ferner nichts fürgenommen werden: Er wird der gefänglichen Haß auf einen gewöhnlichen Uhr-Frieden billig entlehnet / und ihm darueben auferleget / sich umb Ergernuß willen von euch zu wenden und weiter daselbsten wesentlich nicht aufzuhalten *B. R. W.* Cui varia alia ibidem junguntur præjudicia: Ast prout ex prædictis non inferri potest talem, qui errore vel ignorantia concumbit cum alterius uxore, prorsus non committere adulterium, cum ad sit violatio thori, sed duntaxat, quod propter istum errorem mitigatio pœnæ in Crimine adulterii obtineat, Carpz. *d. l. n. 42.* quia non dolo fecit, indeque nec adulterium pleno gradu commissum dici potest, modo talis prætenfa ignorantia jurato obtineri

obtineri possit, ita etiam ebrio regulariter non quidem dolosum carnis delictum, probata prius enormi ebrietate, omnino tamen culposum tribuimus, quod arbitrariè puniendum, nisi sciverit se solitum in ebrietate delinquere, nec sibi posse temperare & à rebus venereis abstinere, & tamen non abstinuit ab immodica vini potatione, sed se studio inebriavit, tum enim ordinariâ afficiendus est pœna. Marc. Ant. Planc. *in pr. Cr. §. ebrius. n. 22.* Bechman. *ad tit. ff. de pœn. n. 31.* Carpz. *pr. Cr. q. 146. n. 58. ibique alleg. DD. ubi & seq. n. 59.* hoc præjudicio istud corroborat: So möchte er von wegen solches begangenen Ehebruchs vermöge Churf. Sächsischer constitution, setner angezogenen Trunckenheit ungeachtet / mit dem Schwerdt von Leben zum Tode gebracht werden:

§. XII. Nunc est ut & paulisper de HOMICIDIO differamus, quod est vel dolosum, vel non dolosum, postea vel culposum vel non culposum: hoc vel casuale vel necessarium: Lauterb. *ad Tit. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Hopp *ad §. 5. 7. de public. judic. & DD. passim.* Huc potissimum spectat dolosum & culposum: illud quod dolo, l. 7. *ff. ad L. Corn. de Sicar.* Hoc quod culpa interveniente committitur l. 4. C. *ad L. jul. eod. Adult. l. 38. §. 8. ff. l. 3. §. 2. ff. ad L. Corn. de Sicar.* exempla varia produxit Carpzov. *pr. Cr. qv. 27. n. 8.* Utrumque ebrius pro ratione circumstantiarum committere potest, & quidem *dolosum*, quando quis propositum occidendi fovens ebrius factus in effectum

D 5

illud

illud deduxit, talis enim ebrietas affectata, eoque animo quæsitâ, ut inde excusationem inveniât, qualis autem dolus nemini prodesse debet: Beckman. *ad tit. ff. de pœn. n. 30.* Damhaud. *pr. Rev. Crim. cap. 86. n. 18.* Richter. *V. 1. p. 5. Conf. 6. n. 43.* Carpz. *pr. Crim. q. 146.* ubi præjudicio id confirmat *n. 57.* Etiam quando sciens se solitum in ebrietate delinquere, & alios percutere ac offendere & tamen studio immodica vini potatione sese obruit, sicque aliquem occidit: Beckmann. *d. l. n. 31.* Carpzov. *d. l. n. 58.* ibique plena manu alleg. DD. ubi autem ejusmodi circumstantiæ cessant, regulariter tantum culposum committitur *l. 6. §. 7. fin. ff. de Re Milit. c. 7. Caus. 35. qu. 1. Gail. 2. O. 110. n. 24. seqq.* Ludwell. *ad Instit. Disp. 18. th. 5. lit. D.* Eadem lege Cornelia, qua coercetur homicidium, etiam vindicari INCENDIUM, docet *l. 1. pr. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* quod itidem vel dolosum vel culposum, utrumque eodem modo, quo homicidium, ab ebrio toties committi, praxis satis confirmat ac præjudiciis evincit Carpz. *pr. Cr. qu. 39. n. 37.*

§. XIII. Prædicta etiam obtinent in PARRICIDIO, quod itidem, si in pleno gradu fiat, dolum postulat §. 6. 7. *De publ. judic.* Ibi: *Nec non is, cujus dolo malo id factum* Idem legitur *in l. 1. ff. Ad L. Pomp. de Parricid. CCC Art. 131. pr.* ibi: *Welches Weib ihr Kind böshafftig / williger weise ertödtet:* quod & *in §. 8. d. Art.* observatur: Dari autem & culposum parricidium evincit satis Constitutio Criminalis Carol. V. *Art. 132.* So sol man die

die Mutter nach Gelegenheit des gefährlichen Hin-
 legens an Leib oder Leben straffen. Inde quando
 parens ebrius infantem in lecto suo suffocat, omni-
 no parricidium committit culposum quod præjudi-
 cio illustrat Carpz *pr. Cr. qv. 15. n. 36.* Ibi: Hat
 H. B. sein Kind nur eines Jahrs alt in trunctener
 weise zu sich ins Bett genommen / daher er folget/
 daß er es im Schlass erdrucket und ersticket &c.
 So wird er wegen solche Verwahrlosung mit Leids-
 licher Gefängniß in Straff genommen: De No-
 bili Mediolanensi refert Dn. Müller. *ad Const. 3. p. 4.*
n. 28., quod per ebrietatem uxorem suam interfe-
 cerit & ea probata à senatu absolutus, quam tamen
 plenissimam pœna remissionem in hisce terris non
 obtineret, de qua in cap. seq. pluribus agendum
 Carpz. *pr. Crim. qv. 18. n. 42.*

§. XIV. Quod ebrius etiam crimen VIS
 PUBLICÆ, committat, ubi armis aliquem aggreditur,
 istumque Vi repelli posse, jam ex §. 7. h. c. sã-
 tis patet: Etiam PECULATUS crimine se polluit,
 quando publicam aut sacram pecuniam aufert;
 quod jam de furto §. 3. & 4. supra adductum,
 huic facile applicari potest, utpote à quo saltem hoc
 crimen objecto differt, inde describitur, quod sit
 pecuniæ publicæ aut sacræ furtum l. 9. §. 2. ff. *Ad*
L. jul. pecul. Ebrietate minui hocce delictum, mo-
 do sobrius factus restituerit, non obscure colligitur
 ex CCC. *Art. 175.* Ibi: Es sollen auch die Dieb-
 stãhle / so an geweihten Dingen und Stãdten bes-
 gangen / die Hungers-Noth / auch Jugend und
 Thora

Thorheit der Versohnen &c. angesehen werden:
 Affine huic est Crimen PLAGII, quod furtum hominis dici solet, si ergo ebrius abduxerit hominem, culposum omnino delictum erit, nisi antea jam habuerit animum abducendi & ebrius factus in effectum deduxerit, ita enim præsumitur abduxisse alterum, licet se haud inebriasset Carpz. *pr. Cr. q. 156. n. 56.* Famosissimum exemplum Plagiariorum, qui Duces Saxoniae, ERNESTUM, 14. annorum, & ALBERTUM, 12. annorum, FRIDERICI II. Electoris Saxoniae filios unicos ex Arce Altenburgen- si furati & ad poenam mortis condemnati sunt, licet nonnulli complices ebrietatem apposuerint, peti potest ex Alberto Crantzio & Albino *in Chron. Missn. part. 1. cap. 21.* plura quidem addi possent delicta, cum autem ex prædictis, jam de reliquis ebriorum delictis, num dolo num culpa committantur, facile judicari possit, magna temporis angustia ad ipsam poenam delineandam progredi jubet.

CAP. III.

DE

POENA EBRIORUM DELINQUENTI STATUENDA.

SUM-

SUMMARIA.

- §. 1. Proponitur Regula, quod ex delicto quilibet ad pœnam obligetur, qui doli & culpa capax.
- §. 2. Probat, imperatores Austriacos eminuisse in puniendâ ebrietate.
- §. 3. Producentur & aliorum Principum Constitutiones.
- §. 4. Fere isdem Canonico, & Divino puniri ebrietatem ostenditur.
- §. 5. Quando cum ebrietate aliud concurrat delictum, negant alii istud esse puniendum, quorum rationes exponuntur.
- §. 6. Illorum exhibentur rationes, qui ordinariam pœnam distulant.
- §. 7. Proponitur nostra sententia, qua extraordinariam propugnat pœnam.
- §. 8. & 9. Refolvuntur argumenta contraria.
- §. 10. Restrigitur nostra sententia ad ebrietatem profundam & ubi non processu propositum delinquendi.
- §. 11. Deciditur dubium, Num inters ebrium & ebriosum ratione pœna sit differentia.
- §. 12. Ratione furti distinguitur, num ebrium si in panis fuerit furti, num de eo gloriatur.
- §. 13. Rapto ebrius modo suffigatione, modo relegatione plecti potest.
- §. 14. Damnum illatum ebrius æque ac sobrius rescarcire debet.
- §. 15. Injuria sive realis sive verbalis fuerit, ebrius regulariter arbitrariè punitur.
- §. 16. Crimen læsæ Majestatis committens ebrius recte suffigatione plectitur.
- §. 17. Propter stuprum & adulterium ebrius extraordinariâ pœnâ afficitur, etiam supratam dotare tenetur.
- §. 18. Homicidium & incendium pro diversitate culpa modo suffigatione modo relegatione punitur.
- §. 19. Idem parricidio applicatur.
- §. 20. Idem & reliquis delictis facile applicari posse ostenditur.

§. I.



LX delicto nasci contra delinquentem obligationem ad pœnam, satis probant §. ult. *f. de obligat. l. 4. ff. de O. & A. pr. f. de obligat. quæ ex del. modo sit doli aut culpæ capax, inde excluduntur infantes l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. pen. in fin. ff. de Fidei comm. libert. Mente capti & furiosi. d. l. 12. ff. l. 40. ff. de R. I. Dormientes, qui furiosis comparantur. Clem. 1. de Homi-*

E

Homi-

Homicid. c. maiores s. X. de Baptis. Quibus immerito Teutler. *Vol. 2. D. 30. th. 6. lit. a.* accenset prodigos. Conf. Lauterb. *Posit. de Privat. delict. th. 5.* Num ebrui illis rectius annumerari possint, in h. capite discutiemus.

§. II. Cum ergo in cap. 1. dictum, ebrietatem esse per se delictum, quæri in antecessum poterit quanam itaque pœnâ hoc coërceatur delictum, ubi quidem securiorem electuri viam statuimus arbitrariam hoc delictum mereri pœnam. Quod enim ebrius ab omni pœna immunis non sit, patet ex severis Imperatorû Austriacorum constitutionibus & præcipuè ex illa quæ est in Reform. Pol. Caroli V. de a. 1530, nec non ex Ordinat. Pol. Imperat. Rudolphi II. de anno 1577. tit. 8. ut inde Cuspinus in *Orat. de bello contra Turc. suscit.* maximum illud elogium Imperatoribus Austriacis attribuere non dubitaverit, quod se, ab ebrietatis vitio inter Principum Germanorum familias sola libera sit familia Austriaca, siquidem ab Avis & Atavis prædicta Archiducum Austriae domus exhorruit ebrietatem, licet eorum regio semper fuerit vini fertilissima & locupletissima. Huncce vero autorem à veritatis semita non aberrasse, docet jam Sanctio Maxim. I. quæ continetur in *Recess. Imper. Colonienf. de anno 1512* cujus verba sunt sequentia: *Deßgleichen wiewol das Zutrincken in vorgehaltenen Reichs-Tagen mehr denn einmahl höchlich verboten / so ist es doch bissher wenig gehalten vollenzogen oder gehandhabet worden / darum und sonderlich weil aus dem Zutrincken Trunckenheit / aus der Trunckenheit viel Gotteslästerung / Todtschläge und sonst viel Laster entstehen*

sehen / also daß sich die Zutrinker in Fährlichkeit
 ihrer Ehren / Vernunft / Seel / Leibes und Gutes
 begeben : So soll in allen Landen eine jede Obrig-
 keit / hoch oder niedrig / geistlich oder weltlich bey
 ihr selbst / und ihren Unterthanen solches abstellen /
 und das bey mercklichen hohen Bönen verbietē /
 und so die von Adel das nicht meyden wolten / daß
 denn wir auch Chur-Fürsten / Fürsten Geistlich o-
 der Weltlich / und anderer Obrigkeit dieselben scheu-
 en / und an ihren Höffen und Diensten nicht halten /
 und so einer deßhalben geurlaubet würde / so soll
 ihn kein ander Fürst oder Obrigkeit / in ihren
 Dienst annehmen oder halten / die aber so geringes
 Standes wären / sollen sie an ihren Leibern här-
 tiglich darum straffen / und ob einige Obrigkeit in
 Handhabung und Vollziehung solches Gebots / ge-
 gen ihren Unterthanen säumig oder läßig würde /
 so soll unser Fiscal solche Unterthanen die darinnen
 überfahren hätten / unsere Käyserlichen Kammer-
 Gericht zu gebührenden Straffe fürnehmen.

§. III. Quamvis vero utroque pollice lar-
 gamur, Imperatores Austriacos optimos hoc in casu
 se gefüllte Principes : reliquorum tamen quoque
 Principum & Electorum statuta non inferioris sunt
 subsellii, sic enim maxime severa est constitutio E-
 lect. Saxon. quæ continetur in *Ordinat Pol. de an-
 no 1652. tit. vom Zutrinken* / quæ per salutipotatio-
 nem inebriati non parum coërcentur. Conf. Carpz.
pr. Crim. p. 3. qv. 146. n. 28. ubi habet præjudici-
 um, quod maritus adeo ebrius, ut pedibus se com-
 mittere non potuerit, indeque ab uxore liberisque
 ad domum deductus fuerit, per sex dierum spaci-
 um

um carceri mancipatus, pane & aqua cibatus iit ad-
 juncta admonitione, nisi tali ebrietatis vitio se ab-
 dicaturus sit, fore ut ipsi durior pœna, quæ ad us-
 que relegationem se extenderet, dicitur. Pariter
 quoque rigidum hujus delicti censorem se exhibu-
 it Elect. Joh. Georg II. *Ordin. Pol. de anno 1661. tit. 19.*
 Plures hujusmodi Constitutiones passim leguntur.
 Ut inde quilibet forte mirari possit, per tot seve-
 ras atque saluberrimas tantorum principum san-
 ctiones obicem poni huic vitio non potuisse.

§. IV. Etiam ante prædictas istas Constitu-
 tiones maxime gravis pœna detestando huic vitio
 est decreta in Jure Canonico, sic enim in *can. 24.*
c. ii. qv. 3. interdicitur, ne quis simul cum ebrio
 cibum sumat, ipsiusque familiaritate utatur, quid?
 quod ne pro iis, qui in ebrietate moriuntur, preces
 fundantur, vetat Ecclesia *cap. 1. x. de reliq. & ve-*
nerat. sanct. Modernis insuper moribus isti, qui dies
 noctesque se vino immergunt, pœnitentiã ecclesiasticam
 dictari posse monet Müller. *de pœnit. eccles. cap. 4. n.*
54. imo si continuo huic delicto se quis mancipaverit,
 à communionem illum excludendum esse, decrevit
 aliquando ad consultationem Facult. Lips. Theol.
 Confer. Dedeken. *in app. p. 553.* Sat gravia itaque
 utut hæctenus enarata sint pœnarum genera, omni-
 um autem durissimum est, quando expresse, *1. ad Co-*
rinth. cap. 6. v. 10., *Galath. 8. 21.* traditur, quod
 neque fures neque ebriosi regnum Domini sint pos-
 sessuri. Ita ex dictis satis patet, quod ebrietas, sicuti
 delictorum numero recte habeatur, sic dignâ quoque
 pœnâ notetur.

§. V.

§. V. Multo magis autem ista, quando delictum delicto superadditur, punienda erit. In eo verò rei vertitur cardo, quænam pœna hoc in passu locum habeat, & hic triplicem reperimus DD. cumulum, Alii enim ebrium omni pœnâ immunem volunt, Alii ordinariam statuunt, Aliis extraordinaria arridet. Priori opinioni addicti qui sunt, sequentibus nituntur rationibus, (1) quod scilicet maleficia æstimanda ex voluntate & proposito delinquentis *l. 53. ff. de furt. l. 1. § 5 ff. Ad L. Corn. de sicariis*: Ebrius autem proposito & voluntate caret *l. 11. §. 2 ff. de pœn.* In Ebrio enim nulla est ratio nec ullum vitæ gerendæ rectum consilium, nec ulla artium, nec gestorum, aut lectionum memoria, imo Ebrii vitam edormire dicuntur, *in c. à crapula, X. de vita & honest. Cleric.* confer. Gailias *l. 2. obs. 110. n. 24.* (2) quod Ebrius comparetur furioso, furiosi autem nullus consensus & voluntas §. 8. *f. de inutil. stipul. l. 40. de R. f. & in l. 11. §. 2. ff. de pœnis* expresse dicitur, quod non proposito sed impetu ebrius delinquere dicatur, (3) Insuper ex Jure nostro constat, quod Ebrii comparentur ignorantibus, *can. sane causa 15. qv. 1.* Ebrietate enim gravati, ubi terrarum sunt nesciunt.

§. VI. Illorum autem, qui statuunt, pœnâ ordinaria ebrium teneri, fundamenta sunt, quod (1) Ebrietas expresse contra jus divinum & humanum militet, sicque quando alius excessus concurrat, duplex committatur delictum adeoque minimum ordinaria dictanda pœna (2) Quia qui vult Antecedens censetur etiam velle consequens, *l. 3. §. 3. ff. de Servit. P. R. l. 77. ff. de acquir.*

acquir. hereditate. Jam vero ebrius consentit in ebrietatem, ergo etiam rectè in delicta ex ebrietate provenientia consentire videtur & per consequens ordinaria pœna non cessabit, alioquin commodum ex ebrietate haberet. Maximum (3) fundamentum credunt esse in R. I. 31 *Spreyer* de anno 1570. tit. *Neuter Bestall.* §. 50. in quo nullam ebrietatis rationem esse habendam, potius ebrium propterea duriori, etiam duplici pœna afficiendum esse disponitur. Porro (4) quod lata culpa reputetur pro dolo, *l. 32. ff. de positi, l. 226. ff. de V. S.* & in effectu juris dolus & lata culpa non differant, *l. 1. §. 5. ff. de O. & A.* Ergo etiam ordinaria pœna obtinebit, (5) quod damnum. quod quis sua culpa sentit, non sentire videatur *l. 203. ff. de R. J.* Jam autem ebrii maxima culpa subest, dum potui plus iusto indulgit, adeoque & hocce damnum, quod ordinaria pœna teneatur, sibi imputare habeat (6) quod allegans propriam turpitudinem non sit audiendus *l. 30. C. de transact. l. 4. C. de revocand. donat. l. 4. C. de revocand. bis quæ in fraud. cred. alienat. c. 8. X. de donat. l. 5. de condict. ob turp. caus. Menoch. consil. 89 n. 32. Surdus. decis. 196. n. 6. & dec. 309. n. 16. Ruin. consil. 194. n. 11. & 12. lib. 1.* (7) quod iniquum non sit, ut quis ex suo delicto afficiatur incommodo *l. 15. ff. si quis omiff. caus. test.*

§. VII. Verum enim vero utut hæc sint satis speciosa, illorum tamen sequor vexilla, qui extraordinariam pœnam ebrio regulariter esse dictitandam propugnant, ubi enim (1) non adest transgressio legis in pleno gradu, ibi quoque non potest

est esse pœna in pleno gradu, pœna enim semper debet esse delicto proportionata, & Magistratus caute agere atque personarum, rerum ac factorum circumstantias diligenter perpendere debet, ne quid durius vel remissius statuatur, quam personæ vel rerum conditio postulat, *arg. l. 4. §. 1. in fin. ff. de incend. ruin.* In ebrio vero non adest delictum in pleno gradu, cum saltem culpa adsit, dum non vitavit profundam ebrietatem, ex qua delicta toties consequuntur, *Harpr. ad tit. 3. de publ. Judic. n. 292.* dolus autem deficit, *per expr. l. 11. §. 2. ff. de Pœn.* quem tamen lex ad formam delicti in pleno gradu postulat, *l. 50. §. 2. ff. de furt. l. 3. §. 2. ff. de injur. l. 7. ad L. Corn. de sicar. & passim*, ut ita plenam ipsi pœnam statuisse injuria esset; (2) Perspicue istud evincunt expressæ leges, sic enim in *l. 6. §. 7. in fin. de re milit.* traditur quod per vinum aut lasciviam lapsis capitalis pœna sit remittenda, & in *can. 9. caus. 15. qv. 1.* dicitur: *Inebriaverunt Loth filie ejus & se nescienti miscuerunt, quapropter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum meretur ebrietas* & in *can. 2. d. c. 15. q. 1.* de ebriis asseritur quod *nesciant, quid loquantur*, qui nimio vino indulgent, jaceant sepulti, ideoque si qua per vinum deliquerint, apud sapientes Judices veniã quidem facta donentur, sed levitatis damnentur, autores.

§. VIII. Nec quicquam movent argumenta dissentientium in contrarium prolata, inter quos isti non refutatione, sed pœna magis digni sunt, qui repugnante jure divino & humano statu-

unt,

unt, nullam ebrio dictandam esse poenam, excepto tamen casu, quando quis absque ulla sua culpa inebriatur, tunc enim ebrius aequae ac furiosus nec dolum nec culpam committit, adeoque nec puniri potest, alioquin verò non sine poena dimittendus, nam verum quidem est maleficia animo aestimanda, quo caret ebrius, & quod comparatur furioso, nec non ignorantanti, Ait caret animo suam culpam, potui dum nimum indulgit, inde obtinet regula in triviis nota: *damnum, quod, quis sua culpa sentit non sentire videtur l. 203. ff. de R. J.* Furioso etiam comparatur, non simpliciter, sed certo duntaxat respectu quatenus uterque quid agit nescit, differunt autem in eo, quod in furiosis ignorantiae causa sit casus, ebrius autem ipse ignorantiae suae causa sit Hahn. ad Wel. tit. ff. de Jur. & fact. ignor. n. 3, ubi inquit: *Multo minus justa est ignorantia per ebrietatem contracta, quia ebrius licet agat ignorans, tamen non agit, propter ebrietatem, cuius ipse causa fuit, quod suus quisque in eo dominus sit ne inebrietur.*

§. IX. Majoris quidem momenti videntur istorum esse rationes, qui ordinariam poenam locum habere existimant: accurate tamen si ponderentur, non difficulter removeri possunt: Ita prima ratio parum ad rem facit, nam ebrietatem arbitrarie puniendam esse, jam ipsi in §. 2. b. docuimus, delictum autem in ebrietate commissum non ex dolo, sed culpa duntaxat promanavit, inde ob duplex delictum durior quidem, non tamen ordinaria, quam delictum solummodo dolosum meretur, statui potest poena, quod ratio prima nostrae sententiae in §. 7. h. addu-

adducta fufius illustravit. *Secundam* quod concernit *rationem*, consentit quidem ebrius directe in nimiam potationem, ast in delictum tantum indirecte, quatenus per accidens inde promanat, per se enim illud non intendit, nec necessario inde sequitur, adeoque nec præcise prævidere potuit: quoties autem rei illicitæ damus operam & ex ea per accidens tantum descendit delictum, toties saltem culposum committitur delictum. Lauterb *In Comp. ff. Ad. L. Corn. de Sicar. Vers. Non dolosum*: adeoque & extraordinaria saltem dictari potest pœna, nec ex eo commodum pro ebrio inferri potest, aut enim ebrietas est affectata, ubi quis ante eam jam propositum delinquendi habuit, & studio se inebriat, ut istam intentionem in effectum deducat, tunc ordinaria locum habet pœna Carpz. *pr. Crim. q. 146 n. 56.* Aut est ebrietas improvisa, quæ jam per se variis incommodis afficit ebrium, ac insuper ob delictum in ebrietate commissum iste punitur: quæ commodum cuilibet lubens relinqvam. Ad *Rationem tertiam* ex all. R. I. desumptam sc. quod (1) illa loquatur de speciali casu, nempe de disciplina militari, quæ ob majus præjudicium est exacerbanda, in bello enim semel errasse satis. Reinking. *de Reg. Sec. & Eccl. lib. 1. cl. c. 8. n. 51.* (2) Intelligenda sit dicta constitutio non de ebrietate profunda, quæ omnem usum rationis tollit daß sie ihr selbst und ihrer Vernunft nicht mächtig seyn / utpote de qua expresse agit §. 52. d. *Constit.* sed de modica, quæ usum rationis non prorsus tollit, quæque ob duplex delictum pœnam exasperari urget, ea

F enim

enim interpretatio Legis facienda quæ iniquum aut absurdum non involvit per *l. 19. ff. de Legib. l. 40. ff. de R. I.* ibique Dn Müller. *in Exemplo 1.* hoc enim Legislator non voluisse videtur. Brunnem. *add. l. 19. ff.* Quando autem *quarto* loco opponitur, latam culpam æquiparari dolo, id verum est in civilibus, contractibus sc. & illis delictis, ex quibus agitur ad pecuniarium interesse *arg. l. 1. §. 1. si mens. fals. mod. l. 1. §. 2. ff. si is qui test. lib. est. Jus.* non verò in criminalibus, vel infamiam irrogantibus *l. 7. ff. ad. L. Corn. de Sicar. l. 11. ff. de Incend. Ruin. naufr. Mejer. de Culp. ib. 111. Gail. l. 2. obs. 110. n. 2. Hahn. ad Wes. tit. ff. de his qui not. infam. N. 3. Quintum* adversariorum argumentum quod attinet, quod scilicet damnium illud propria sua culpâ sentiat: illud verissimum quidem est, sed tamen inde non sequitur illum ordinariâ esse coercendum pœna, cum & nos ipsi statuamus pœnam extraordinariam locum habere, sicque illud damnium, quod per extraordinariam pœnam percipit, utique sua culpa ebrium sentire debere. Simili ratione *sextum* quoque non obstat, quod propriam sic alleget turpitudinem & per consequens non audiendus sit, nam licet id procedat in thesi, regula tamen illa multas sortitur exceptiones, de quibus legi merentur Brunn. *ad Tit. Cod. de liberal. caus. n. 15. & in l. 14. §. 1. C. de S. S. Eccles. ubi allegat exempla, Klock. conf. 2. n. 57. vol. 1. Cravett. Conf. 466. n. 19. Socin. Conf. 264. n. 8.* inter quas & recte refertur Causa Criminalis, in quibus excipiendo & se defendendo quilibet potest allegare turpitudinem suam Cardinal. Tusch. *Concl. Pract.*

404. n. 68. lit. T. Cæpol. *Confil.* 57. n. 4. *Ultimum* autem antea allegatum dubium plane impertinens est, cum pœna arbitraria non absqve incommodo sit.

§. X. Hactenus autem dicta ita intellecta volo, ut adfit (1) ebrietas profunda, non levis, prout jam monui *cap.* 2. §. 1., hæc enim si adest, quando quis v. g. caliditate vini exhilaratus delinquit, tum utiqve pœnæ ordinariæ locus est. Reinking. *de Reg. Eccles. & S. L.* 2. cl. 5. c. 8. n. 46. ibiqve alleg. Menoch. *Lib.* 2. *arbitr. jud. q. Cas.* 326. n. 7. quia dolo malo illud crimen admittum præsumitur *Petr. Theod. in Colleg. Crim. Diss.* 10. th. 4. lit. 1. & *Diss.* 7. th. 7. lit. 3. variis præjudiciis istud corroborat Carpzov. *pr. Cr. p.* 3. *Qv.* 146. n. 51. *seqq.* (2) ut ebrius ante ebrietatem non jam foverit affectum delinqvendi, eo enim in casu quando ebrius factus propositum suum antea conceptum in effectum deduxit, omnino ordinaria pœna locum habebit, præsumitur enim etiam absqve ebrietate ita deliquisse Carpz. *d. q.* 146. prout jam passim supra exemplis illustratum.

§. XI. Occurrit hic dubium, num hactenus dicta se etiam ad ebriosum extendant? Videtur quod non; quia talis ex habitu vitioso & consuetudine pessima sciens prudensqve inebriatur (*weil er sich arm/franck und in die Hölle saufft*) uti loqui amat Gail. *l.* 2. *Obs.* no. n. 27. idem docet Mejer. *in C. J. A. tit. de injur.* §. 30. n. 3. Mihi tamen magis arridet sententia illorum, qui statuunt & in ebrioso hancce extraordinariam obtinere pœnam, quia æ-

que ac ebrius intellectu caret, sicque eadem ratio mitigandi pœnam adest, nam ad ordinariam pœnam requiritur ut delictum ex animi intentione & proposito processerit: habitus tamen ille vitiosus & pessima ista consuetudo se inebriandi illud operatur, ut ebrius duriori pœna quam ebrius teneatur Reinck. *de R. S. & E. lib. 2. cl. 1. c. 8.* Quod si tamen ebrius sciat, se solitum in ebrietate delinquere, alios percutere, nec sibi posse temperare & à rebus Veneris abstinere &c. & tamen toties admonitus habitum non deponat atque in ebrietate delinquat, ordinaria omnino afficiendus pœna, quoties enim quis dat operam rei illicitæ, tunc tenetur de omni eo quod sequitur præter illius intentionem, quando causa jam ordinata & tendit ad subsecutum delictum, ita ut autor delicti facile scire potuerit ac debuerit, illum effectum inde facile secuturum *per l. 6. C. Ad L. jul. de Vi publ. & l. 15. ff. Ad leg. Cornel. de Sicar. Brunnem. ad d. l. 6. C. n. 2. Carpz. pr. Crim. qv. 1. n. 29.* Etiam præjudicio id firmat Carpz. *qv. 146. n. 59.*

§. XII. Hactenus de pœna tum ebrietatis, tum delicti in ebrietate commissi in genere actum, jam paucis adhuc tangam pœnam singulorum delictorum, circa quæ observabo ordinem, quem amavi in *cap. 2.* sicque primo loco occurrit FURTUM, in quo probè attendenda distinctio supra jam adducta, Num ebrietate per somnum rursus dissipata pœnituerit ebrium furti commissi, sicque ablata restituat. Num vero minus sed potius de eo gloriatur; *posteriori casu* ex ratione jam supra

§. 4.

§. 4. cap. 2. producta ordinariam pœnam dicitant Carpz. *pr. Cr. qv. 146. n. 55.* Prosp. Farin. *part. 3. Oper. Crimin. qv. 93. 22.* Menoch. *arbitrar. judic. qvæst. Lib. 2. cas 326. n. 10.* Bonifac. *de furt. §. 10. n. 152 seqq.* Priori autem casu, quia sobrio, qui alias ob effractionem pœnam laquei promeruit, fustigatio saltem regulariter dicitari solet, quando Dominus res ablatas recuperavit, uti fufè satis ex *Art. 160. CCC.* jam deduxit Carpzov. *pr. Crim. qv. 80. n. 9. 14. seqq.* inde Ebrio, prout vel culpâ quâdam in ebrietatem inciderit, vel ex habitu vitioso eam accersiverit, modo carcer, modo relegatio dicitanda, *l. 6. §. 7. ff. de remilitar.* pro ratione enim circumstantiarum modo severius, modo remissius iudex procedere debet, uti patet ex *Art. 160. CCC.* ibi: *Mehr soll er messen werden der Stand und das Wesen der Person:* Nec eadem potest esse dolosæ & culposæ contrectationis pœna *arg. l. 11. pr. & §. 2. ff. de pœn.*

§. XIII. Circa RAPINAM evidens, quod raptor, qui homines vi aggreditur, manuque violenta spoliatur, gladio sit puniendus per expr. *Art. 126 CCC.* etiam in plerisque locis, facta executione, ex recepta consuetudine cadavera ipsorum rotæ imponuntur. Carpz. *pr. Cr. qv. 90. n. 12. & part. 4. C. 35. def. 1. Mev. ad Jos Lubec. lib. 4. Tit. 2. Art. 1. n. 8.* Ordinariam hanc Rapinæ pœnam quoad ebrium in fustigationem plerumque commutari, duobus præjudiciis firmat Carpz. *pr. Cr. qv. 146. n. 44. & 45.* Haben die beyde Gefangene W. F. und F. S. & C. bekannt/ daß sie in denen actis benante 6. Personen auff offener Strasse angegriffen/ besucht / und

Geld von ihnen haben wollen / insonderheit aber /
 daß sie die zween Böhmishe Männer gezwungen /
 daß sie ihnen 2. Gr. geben müssen / sie auch hierüber
 gefährlich beschädiget : Und es hat der Wirth be-
 richtet / daß sie 2. sehr truncken gewesen 2c. Wird
 nun der Wirth solches sein Vorgeben eyndlich erhal-
 ten / so verbleiben Inquiriten mit der ordentlichen
 Todes=Straffe / so sie sonst verwicklet / verscho-
 net / zur Staupen geschlagen / und darauff des Lan-
 des ewig verwiesen : Adjungitur d. n. 45. præjudi-
 cium, qvo duntaxat temporalis relegatio depræda-
 tori ebrio dictata evincitur.

§. XIV. In DAMNO ebrius non potest re-
 missionem præterdere, cum ibi hodie regulariter
 non agatur ad pœnam uti in reliquis delictis, sed
 duntaxat ad rem corruptam resarciendam, idque
 licet levissima saltem intervenerit culpa l. 44. pr. ff.
Ad L. Aquil. Brunnem ad l. 27. ff. eod. Anton. Matth.
de Crimin. lib. 47. tit. 3. Befold. in Thef. Pract. voc.
Abtrag. Struv. in S. I. C. Ex. 14 th. 25. Carpz. p. 4. C.
37. Def. 8. Lauterbach. in Colleg. ff. ad L. Aquil. §. 24.
 Æquius autem est, ut ille ferat damnum, cujus ali-
 qua est culpa, quam ille, cujus res est & nulla culpa
 Huber. *ad Inst. d. tit. n. 3.*

§. XV. INJURIAM quod attinet, si illa fu-
 erit verbalis, ad declarationem, etiam pro ratione
 culpæ, quâ quis incidit in ebrietatem, ad depreca-
 tionem, non tamen ad recantationem, si de ebrie-
 tate enormi evidenter constet, aut juramento præ-
 stito illam evincit ebrius, condemnari potest, quod
 præjudicio corroborat Carpz. *pr. Cr. qu. 96. n. 22. sqq.*
add.

qv. 94. n. 80 pœnæ enim debent commensurari delictis l. 11. § 12. ff. *Ad L. jul. de Adult. l. 4. ff. de Incend. Ruin. l. 16. ff. de pœn.* Si autem sobrius factus de injuria alteri illata gloriaretur, ordinariam tunc obtinere pœnam ob ratificationem, probat satis Bronchorst *Cent. 4. qv. 83. Carpz. pr. Cr. qv. 146. n. 55.* Injuria si fuerit realis, & istius ebrius convictus, pœnam arbitrariam omnino dictabit judex. Conf. Covarruv *ad Clement. Si furiosus: De Homicid. & Damnaud. pr. Cr. c. 137. n. 12.*

§. XVI. Crimen læsæ MAJESTATIS si committit ebrius & quidem ubi illud antequam ebrius factus præmeditatus in ipsa ebrietate in effectum deduxerit, tunc morte illum plecti posse dubitari nequit l. 5. C. *ad L. jul. Majest.* ibi: *eadem severitate voluntatem sceleris, quâ effectum puniri jura voluerunt:* add. Carpzov *pr. Cr. q. 146. n. 56.* Si vero non fuerit præmeditatus & de profunda ebrietate evidenter constat, tum alia gravis pœna arbitraria, etiam fustigatio cum perpetua relegatione recte dictatur, ad mortem tamen ob deficientem dolum & voluntatem regulariter illam pœnam non extenderem *per l. 6. §. 7. ff. de Re Milit. c. 7. & 9. Caus. 15. q. 1.* in pœnalibus enim semper benignior facienda interpretatio. *c. in pœnis de R. l. in 6. l. 155. §. 2. ff. eod. fulse de eo agit Carpzov. pr. Crim. qv. 133. n. 25. seqq. & qv. 146. n. 33.* Quid si vero ebrius tantum Principi maledixerit, tum in Principis arbitrio est, num injuriam illam vindicare, num vero generosa mente condonare velit *vid. l. un. C. Si quis Princ. maledix.*

§. XVII.

§. XVII. STUPRUM ab ebrio committi posse, supra jam deductum, istius autem poena licet hodie sit per se arbitraria, tamen quoad ebrium mitiganda, quia culposum saltem est delictum *c. 7. Caus. 15. qu. 1.* Ibi: *Si qua per vinum deliquerint apud sapientes iudices venia quidem facta donantur sed levitatis damnantur autores.* Dotis vero dationem, liberorumque alimentationem quod concernit, illi se subtrahere ebrius minime potest, & quidem dotare stupratam tenetur, quia dos stupratae datur in praeium amissae virginitalis, quae foeminae quae ab ebrio ac sobrio privatur. Alimentis etiam partum instruere debet, quia illa debentur ex Jure naturae, alimenta enim debita qui denegat, necare videtur *l. necare ff. de agnosc. & alend. liber.* ADULTERII etiam poenam arbitrariam, in certo autem casu ordinariam esse jam in §. II. c. 2. praedictis firmatum;

§. XVIII. Sequitur HOMICIDIUM, & quoad illud ebrium mitiori esse castigandum poena, vel ex eo patet, quod homicidii poena ordinaria locum non habeat, nisi dolus intervenerit, *l. 1. C. ad L. Corn. de Sicar. l. 7. ff. eod. Menoch. lib. 2. arbitr. Judic. quest. cas. 324.* Et si enim hoc in casu ebrius mortis causam praebet, dolose tamen hoc non facit, & mors tantum per accidens subsequitur *arg. d. l. 7. ff. Covarruv. ad Clement. V. de Homicid. secund. part. relect. in §. 1. sub. num. 1.* Assertum proin nostrum est, poenam regulariter pro diversitate culpae vel in relegationem, vel in fustiga-

fustigationē cum relegatione esse cōmutandam, quod variis præjudiciis jam illustravit Carpz. p. 3. *qu. 146. n. 42. & 43. add. n. 92. sqq.* In certis autem casibus etiam ebrio recte dictari pœnam ordinariam, jam §. 12. C. 2. fuit expositum. Porro INCENDIUM ab ebrio excitatum, quando ex consuetudine pessima in ebrietatem incidit, imprimis si admonitus ut ab illa desistat, & tamen non abstinuerit, regulariter pœna fustigationis, si autem præter intentionem, culpa tamen quadam in ebriatus, relegatione aliave arbitraria pœna plerumque plecti solet: *arg. l. 3. §. 1. ff. de offic. Praefect. Vigil. Mynsing. Cent. 6. obs. 88. n. 9. Berlich. part. 4. Concl. 25. n. 7.* ibique plena manu alleg. DD. Prius præjudicio corroboravit Carpzov. *pr. C. qu. 39. n. 37.* Ibi: So wird der verhaftete Mälzer P. S. wegen solches seines Unfleisses und Unachtsamkeit / indem er über gethane Verwarnung des Bollsaußens sich beflissen und dabey angeregten Schaden verursachet / andern dergleichen Gefellen zum Exempel und Abscheu / öffentlich bittlig zu Stäupen geschlagen und des Landes ewig verwiesen: *Posterius idem etiam confirmat n. 38.*

§. XIX. In PARRICIDIO ab ebrio commissō non ordinariam pœnam Culei regulariter habere locum, sed pro diversitate culpæ, quam iudex exacte observare habet, modo fustigationem, modo relegationem modo carcerem obtinere, satis evincit *l. 6. §. 7. ff. de Re Milit. l. 11. pr. & §. 2. ff. de Pen. c. 7. & 10. Cauf. 15. q. 1.* Et quidem in atroci hocce delicto carceris pœnam interdum sufficere, præjudicio supra in §. 13. C. 2. allegato jam illustratum: Si ta-

G

men

men non fit profunda, sed modica ebrietas, tunc pœna mortis non cessat, quamvis loco culei possit substitui gladius, per ea quæ habet Carpzov. *pr. Cr. qu. 18. n. 42.*

§. XX. Quæ ita de pœna parricidii aliorumque præcedentium delictorum adducta sunt, facile à quovis reliquis delictis non productis applicari possunt, quæ autem de ebrietate probanda adhuc afferri possent, aliaque notatu digna, excludit subitanea, quæ præter omnem intentionem mihi obvenit, abeundi causa, inde filum abrumpo, veniam facilius ab iis mereri confidens, quibus festinatio in comperito fuit: Cæterum cum idem nobis principium, medium & terminus esse debeat: *Nov. 109. Præf.*
à quo feci initium, cum eo quoque finio,
adscribens

Soli DEO Trinuni Gloriam.

Sic profers, Cathedræ scandendo limina doctæ,
Ingenii Specimen, Svarvis Amice Tui.
Nomina quis certe! tua ferre recuset in astra?
Ars Themidos curæ dum fuit usque Tibi.
Gratulor hincque tuæ mentis conamina doctæ
Surgendo ut vigeat fama decusque tuum.
Gratia Supremi semper Tibi Numinis adsit,
Quo tibi in hoc studio prospera cuncta fluant.

PRÆSES.



ULB Halle

3


003 632 89X



f







23

1445

1710 4

5

DISPUTATIO JURIDICA,
DE
**EBRIO DELIN-
QVENTE,**

QVAM
ADJUVANTE DIVINO NUMINE
ET ILLUSTRIS ICTORUM ORDINE CONSENTIENTE
IN CELEBERRIMA AD VARNUM ACADEMIA,
PRÆSIDE
VIRO PRÆNOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO
ATQVE CONSULTISSIMO,

DN. MATTHIA  Stein/

JCTO, AC COD. PROFESS. PUBL. ORDIN.
HODIE DECANO,

IN AUDITORIO MAJORI

D. xiv. JUN. A. M. DCC. X.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT.

AUTOR & RESPONDENS

BARTOLDUS CHRISTOPHORUS

BALEKE,

PARCHIM-MEKLENB.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVI,
Ampliff. Senatus Typographi.

